



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvrgensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Episcopatus Chiemensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

## Episcopatus Chiemensis.

## ADDITIONES

IN nomine Domini, Amen. *Eberhardus* Dei gratia *Salisburgensis* Ecclesiæ Ex M.S. Fundatione Monasterii or. Bavar. lib. Tegernsee. Archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legatus, in vinea Domini Sabaoth laborantes sollicita consideratione perpendimus, nos ad regimen gregis nobis commissi minus sufficere, & ut onera nostra in alios partiri debeamus, de licentia & auctoritate Domini *Innocentij* Papæ III. & assensu Capituli nostri *Salzburgensis* in *Chymensi* Ecclesia Kathedram constituimus Episcopalem. Tali adhibito moderamine, ut secundum formam privilegij prædicti Domini Papæ super hoc editi Capitulo nostro *Salzburgensi* in dignitatibus, in libertatibus, consuetudinibus & omnibus rationibus suis occasione noui Episcopatus nullum fiat præiudicium & grauamen: de quibus rationibus subscriptas exceptiones specialiter & nominatim necessarium duximus exprimendas. In primis videlicet constituimus, ut Præpositus & capitulum *Chymensis* Ecclesiæ nullo vnquam iure quicquam sibi vendicat de præfati Episcopi electione, sed ipsius Episcopi Electio simpliciter & pure tantum ad nos & nostros spectet ex ordine successores. Idem etiam Episcopus à nobis & successoribus nostris electus, & pontificali annulo inuestitus & beneficiatus, homagium faciat Archiepiscopo, & sacramentum præstet se in omnibus fidelitatem debitam seruaturum. Statuimus etiam ut electus ante perceptam consecrationem coram nobis & Canonicis à capitulo *Salzburgen*: destinatis iuret nunquam motu proprio idem capitulum se grauamine perturbare. Excipimus etiam ne *Chymensis* Episcopus Ecclesia *Salzburgense* vacante nulla penitus ratione electionis Archiepiscopi se debet ingerere solennia, quorū diuini officij in maiori Ecclesia, nisi à capitulo vocatus vllius iuris prætextu celebret præter pontificalia officia, quæ vice nostra nobis absentibus adimplere satagat, & hoc de mandato nostro speciali. De causis etiam cognoscēdis, quarū diffinitio nobis nōp resentibus de iure comūni spectat ad capitulū maioris Ecclesiæ extra diocēsin suam sibi collatā Archidiaconi *Salisburgen*: iussu integraliter conseruet. Volumus etiam ut secundum antiquam consuetudinem & à nobis, & à prædecessoribus nostris hætenus obseruatam Præpositus Ecclesiæ *Salzburgen*: siue in publico siue in priuato à latere nostro propter præsentiam Episcopi seu Episcoporum à nobis creatorum nunquā debeat segregari, sed Præposito in sinistro latere posito, *Chymensis* in dextro latere secundum cuiuslibet Episcopatus dignitatem & ætatem in suo ordine statuatur. Ne igitur hæc nostra constitutio, ab aliquo in posterum valeat immutari præsentem inde paginā, inde conscribi, & sigillo nostro Pontificali fecimus communiri. Datum *Salzburgæ*: VI. Kal. Martij Anno Domini M. CCXVIII. Pontificatus nostri anno XVIII.

MARTINVS Episcopus seruus seruorū Dei. Ad perpetuā rei memoriā. Ex Apostolicæ sedis circūspectione prouenire dignoscitur, ut Rom: Pontifex quandoq; Prædecessorū suorum Romanorum Pontificū gesta innouet, innouationē restauret, & auctoritate apostolica fulciat innouata. Hinc est q. nos ad Venerabilis nostri Episcopi *Chiemensis* instantiā quarundam felicis recordationis *Alexandri* PP. IV. prædecessoris nostri, quæ in Cancellaria nostra diligenter inspectæ & examinatæ sunt, cum incipiant vetustate consumi litterarum tenorem de verbo ad verbū præsentibus annotari fecimus, qui talis est. ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili fratri Episcopo *Chiemensis* salutem & apostolicam benedictionē. Hiis quæ ad laudem diuini nominis, & Ecclesiastici decoris augmentum ab Ecclesiarū Prælatīs proinde statuuntur, libenter adiicim⁹ apostolici mu-

niminis firmitatem, vt intemerata consistant, cum nostro fuerit praesidio communica. Cum igitur, sicut petitio tua nobis exhibita continebat bonae memoriae E. *Salisburgensis* Archiepiscopus animabus suae curae commissis cupiens procurare salutem, *Chimensem* Ecclesiam tunc *Salisburgen*: Diocesis, de sui assensu Capituli, & licentia felicitis mem. I. PP. praedecessoris nostri instituto ibidem, Episcopo creauerit Cathedrali, certam Dioc. & certos redditus quarundam Ecclesiarum, nec non & alia quaedam bona *Salisburgen*: Diocesis mensae ipsius Episcopi deputando, prout in eiusdem Archiepiscopi litteris confectis exinde plenius continetur. Nos tuis deuotis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem Archiepiscopo prouide factum est, ratum habentes & gratum, illud auctoritate Apostolica confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communimus. Tenorem ipsarum litterarum de verbo ad verbum praesentibus inferi facientes, qui talis est.

EBERHARDVS Dei gratia *Salisburgensis* Archiepiscopus, Apostolicae sedis Legatus, *Rudegero* Venerabili *Chimen*: Episcopo in perpetuum. Nos super familia Domini constituti, vt demus ei cibum in tempore, verbum illud sollicitè cogitantes, *messis quidem multa. operarij autem pauci, rogate ergo Dominum messis vt mittat operarios in messem suam*, Domino Innocentio PP. III. vna cum Capitulo nostro obtulimus preces nostras, quas fauore Apostolico exaudivit, vt in Insula *Chimen*. in Monasterio regularium Cathedrali Episcopalem, poneremus Dominici gregis facilius gubernandam, ita potius animarum, quam rerum commodum attendentes, eiusdem monasterij per omnia iure saluo, & nihil de bonis ipsius ad Episcopalem Cathedrali transferatur, & Capituli *Salisburgen*: saluo nihilominus super omnia iure suo, vt per hoc in dignitatibus, libertatibus, consuetudinibus, & rationibus suis eis nullum praedictum generetur. Nos ergo ad beneplacitum apostolicae voluntatis de consilio Capituli nostri in praedicta Insula sedem, fecimus Cathedrali, & tibi *Rudegero* Venerabili fratri a nobis electo & etiam inuestito, & successoribus tuis a nobis & successoribus nostris eligendis & inuestiendis, cum sacramento fidelitatis, iuxta tenorem autem apostolici Priuilegij Episcopatum tuum his finibus limitamus, videlicet a terminis Parochiae extet vsque ad Insulam *Ghimen*: deinde per *Prien* & *Selhuben* parochias, ac deinde per vallem *Cruzolben*, & inde per montem qui dicitur *Strichen*, & per vallem quae dicitur *Linchetal* claudendo parochias *Chirchdorff* & sancti *Ioannis*, vsque in summitatem montis *Joehberch*, & hoc erit ipsius Diocesis longitudo, latitudo vero ipsius parochiae tuae extenditur per valles *Pirlse*, *Prichsentel* & *Elimalben* vsque per fines parochiae solis retentis nobis iure patronatus in his Ecclesiis, in quibus illud prius habuimus, & decimis aliarum, Ecclesiarum, & etiam in Feudatis. Assignamus etiam tibi & successoribus tuis annuos redditus Trecentarum, Marcharum percipiendos in *Sahrauch*, & omnibus pertinentiis suis cultis & incultis, piscationibus, siluis Pascuis & hominibus, ad illud officium, pertinentibus, & in *Puzcolben*, *Wilhalbnstorff*, *Purch*, cum possessionibus aliis quas emimus a nobili muliere *Machilde*. Et item in *Austria* in vineis apud *Arlsdorff*, quas comparauimus ab *Orrolpho*, & aliis, qua nobis a *Spissario* nostro *Menchardo* vacare ceperunt, nec non in domo infra ciuitatem *Salzburgensem* iuxta Ecclesiam sancti *Laurentij*, quam emimus a milite suprascripto, Et item in *Striouelden*, *Celle*, & *Houen* & *Iahsenpach* Ecclesiis, & earum redditibus & omnibus possessionibus, quaedam Ecclesiae iure communi, & etiam speciali haecenus obtinuerunt in decimis & aliis suis rebus, saluo tamen numero clericorum, seruitantium in eisdem. Damus etiam tibi & successoribus tuis Ecclesiam

*Sechir-*

*Sechirchen*, cum omnibus pertinentiis suis, salvo nihilominus numero feruientium in eadem. Hoc tibi & successoribus tuis onere imposito, ut inde victum habeatis. Si quando *Chrisma* in *Salisburgensi* Ecclesia à nobis contigerit consecrari, & etiam quando pro aliis necessitatibus nostris ad eandem ciuitatem accesseritis disponendis, salvo in omnibus prædictis Ecclesiis iure Archidiaconi. Numerum autem Clericorum taliter moderamur, in *Striofelde* quinq; , *Celle* quinq; , *Houen* quinque, *Thsenpach* duos, *Sechirchen* tres. Volum⁹ etiam ut ad quamlibet illarum nobis & successoribus nostris à te & successoribus tuis proprius Sacerdos præsentetur, cui committamus regimen animarum. Iurisdictionem tamen ecclesiasticam, videlicet excommunicationis, vel aliam huiusmodi in omnes in prædictis Parochijs delinquentes tibi, & tuis successoribus indulgemus, ut ipsa utamini, quando secundum Dei amorem, videbitis expedire. Præterea damus tibi & successoribus tuis possessiones in *Citerstal* *Vrborch*, ministerialis Ecclesiæ nostræ, suo dederit Hospitali, quod Præposito *Chimen*, priuilegium commiserat ordinandum. Ex illis autem singulis annis sex libri fororibus in Insula positis tribuantur. Et iuxta easdem possessiones in Castro nostro, quod ibi ædificauimus aream vnam pro vna domo, & officinis eidem domui necessarijs, hæc omnia iure feudali tibi & successoribus tuis concedimus possidenda. Et ut hæc omnia tibi & successoribus tuis firma permaneant, hanc donationis nostræ paginam, cum consensu Capituli nostri sigilli nostri robore confirmamus. Nulli ergò hominum liceat hanc nostræ donationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Ego Chuno Salisburgensis Ecclesiæ Decanus, Ego Bernardus presbyter Subdecanus. Ego Harifridus presbyter Scolasticus. Ego Albertinus presbyter. Ego Albert⁹ presbyter. Ego Alberher⁹ presbyter. Ego Henric⁹ presbyter. Ego Berchtold⁹ presbyter. Ego Volchmarus presbyter. Ego Henricus presbyter. Ego Hoholdus presbyter. Ego Leupold⁹ presbyter. Ego Otto Diaconus. Ego Fridericus Diaconus. Ego Sighardus Diaconus subscripsimus. Dat. Salzburg III. Kalend. Ianuarij, pontificatus nostri Anno XVIII. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignatione Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Datum *Neapoli* VIII. Kal. Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo. Nos igitur ipsius *Friderici* Episcopi in hac parte supplicationibus inclinati litteras prædecessoris huiusmodi auctoritate prædicta tenore præsentium innouamus, & præsentis scripti patrocínio communimus. Per hoc autem nullum ius cuiquam de nouo acquiri volumus, sed antiquum, si quod sit, tantummodo conseruari. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ innouationis, communicationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum *Rome* apud sanctos Apostolos, II. Id. Ianuar. Pontificatus nostri Anno vndecimo.

## Episcopi Chymenses.

ANNO Domini M. CC. XVIII. EBERHARDVS prius Brixinensis, postea eiusdem nominis secundus iste Saltzburgenſis Archiepiſcopus effectus XVIII. Pontificatus ſui anno ſub Innocentio Papa III. conſentiente ſibi capitulo ſuo, III. Kal. Ianuarij, Episcopatum in Insula qua Chymenſ. dicitur inſtituit. Postmodum Honorius III. Nea-

Metrop. Salzb. Tom. II.

V 3

III, Nea-

- III. Neapoli confirmavit primo Pontificatus sui anno IX. Kal. Ian: Dicitur Eberhardus eiusdem Episcopatus electionem sibi & suis successoribus reservavit: & primum Episcopum
- I. RVDIGERVM de Radeck postea Pataviensem huic loco Chymen: praefecit: praefuit annos 15. (annos 10.)
- II. ALBERTVS prius Saltzburgen: Praepositus, in Capitulo sepultus, rexit
- III. Fr. HENRICVS de ordine Praedicatorum in Raittenhaslach sepultus, praefuit an. 22.
- IV. Fr. HENRICVS de ordine F. Minorum, rexit annos 9.
- V. IOHANNES postmodum Gurcensis effectus; praefuit in Monasterio Chymen an. 4.
- VI. CHVNRADVS dicitur Hintperger Saltzburgae sepultus an. 13.
- VII. FRIDERICVS prius hic Praepositus in Chymice, dicitur Fronhovver ann. 2.
- VIII. ALBERTVS Saltzburgenfis Canonicus dicitur Fronstorffer, annos 28.
- IX. VLRICVS de Montpreis Can: Salisb: in crypta sepultus, an. praefuit 2.
- X. CONRADVS de Liechtenstein prius Praepositus Soli en. ob Saltzburg, rexit an. 17.
- XI. GERHOCHVS de Waldeck prius Decanus Saltzbur. Romae confirmatur, an. 4.
- XII. HVGO de Scherffenberg, prius Can. Saltzburgen: rexit confirmatus an. 1.
- XIII. LVDWICVS Kattckouer, Canonicus & plebanus Saltzburgenfis, an. 1.
- XIV. FRIDERICVS quondam plebanus in Celle prius Notarius Conradi de Liechtstein & ut alius Catalogus habet Domini Ortolfi Archiepiscopi, an. 27.
- XV. GEORGIVS de Neuperge, prius Canonicus Saltzburgen, an. 2.
- XVI. EBERHADVS de Perneck Canonicus Saltzburgen, an. 7.
- XVII. ORTOLFVS Talhaimer plebanus in Mienberg in Chymice sepultus,
- XVIII. FRIDERICVS Teys prius fuit Episcopus Lauantinen. in Chymice sepultus, an. 7.
- XIX. ENELMARVS Kral Decanus Saltzburgen, an. 12.
- XX. IOHANNES Ebser Canonicus Saltzburgenfis, an. 9.
- XXI. SILVESTER Doctor, prius Decanus Pataviensis, an. 14.
- XXII. VLRICVS Planckenfelfer prius Canonicus Saltzburgenfis ann. 14.
- XXIII. BERNHARDVS Decretorum Doctor Canonicus Frisacensis, qui prius fuit trium Archiepiscoporum Cancellarius.
- XXIV. GEORGIVS Altausler Decretorum Doctor, Praepositus in Traberg, Cancellarius Salisburgen.
- XXV. GEORGIVS Ebmer Decret. Doctor fuit prius Praepositus ad S. Zenonē
- XXVI. CHRISTOPHORVS Mandel Decret. Doctor, & Cancellarius Salisburgenfis.
- XXVII. BERTHOLDVS Burschtinger IV. Licent.
- XXVIII. SEBASTIANVS, Cattaneus SS Theol. Doctor.
- XXIX. EHRNFRIDVS à Chienburg Canonicus Salisburgen.
- XXX. NICOLAUS à Wolckenstein, Canonicus Salisburgen.

et Gebhardus.

et Pular.

CHIEMSEE MONASTERIUM ORDINIS  
S. AVGVSTINI CANONICORVM REGVLARIVM

Herrn werd solim in der Aw oder Psaffen werd.

DE huius Monasterij fundatione scribit Auent. & adfert Arnolphi diploma, quod iste Arnolphus Rex hoc Monasterium, vel Abbatiam sancti Saluato-

uato.